

## INSTRUCTIO « DE ORATIONE », MESSANAE DATA

CA. 1551

*Praefatio*I. - MONUMENTUM *ineditum*.

II. - AUCTORES: M. NICOLAU, *Los escritos espirituales de Jer. Nadal*; Archivo Teológico Granadino 5 (1942) 31-32; IDEM, *Jerónimo Nadal. Sus obras y doctrinas espirituales* p. 74-75; EN, I, p. XLVII.

III. - TEXTUS unicus, integer *autographus*, in ARSI, *Instit. 178 I*, ff. 116r-118v. De hoc codice aliqua notitia datur in EN, I, p. XLVII; et MI, *Reg.* p. 44\*; uberius describitur a nobis initio praesentis voluminis.

IV. - TEMPUS. Haec videtur esse antiquissima instructio de oratione data a P. Nadal. Etenim, ad finem documenti, dum loquitur de personis aut de intentionibus pro quibus orandum est, refert (fol. 118r): *orandum pro P. Ignatio . . . pro hoc collegio et panormitano . . . pro prorege nominatim, d. Isabella ac eius fratribus, pro hac civitate et magistratibus et regno . . .* Quod sufficienti claritate indicat hoc documentum scriptum esse vivente adhuc Sancto Ignatio et cum Natalis, Rector collegii messanensis, versaretur in Sicilia, ubi erat vicerex et benefactor Societatis Ioannes de Vega, et eius filia operibus piis intendebat, domina Elisabeth de Vega, quae magnam venerationem gerebat erga P. Nadal<sup>1</sup>. Cum autem collegium panormitanum contradistinguatur ab eo collegio ubi instructio datur, et insuper sermo sit (ff. 116v-118v) de *magistro probationis*, qui cum Rectore moderatur quae ad orationem spectant, omnia ingerunt menti instructionem datam esse Messanae, post foundationem collegii panormitani (24 novembris 1549)<sup>2</sup> et domus probationis messanensis, scilicet, intra Quadragesimam anni 1550, qua domus probationis inceptit<sup>3</sup> et initium anni 1553, quando Nata-

<sup>1</sup> Cf. EN, I, 103, 757.

<sup>2</sup> Cf. *Chron. Pol.* I, 387.

<sup>3</sup> « . . . dipoi di molta difficoltà di trovar casa al proposito, habbiamo trovata per special gratia del Signor una casa, la più commoda che trovar

lis ultimo egressus est e Sicilia Romam versus, ut inde mitteretur in Hispaniam. Sed cum in hoc documento nulla mentio fiat de Constitutionibus Societatis, quas Natalis promulgavit in Sicilia, postquam 25 martii anni 1552 Romae professionem emisit et post duos menses Sanctum Conditoem iuvit in revisione earum<sup>4</sup>, potius cogitandum est hanc instructionem fuisse exaratam antequam Natalis Romam perrexisset vere appetente anni 1552, scilicet ante annum 1552 vel in primo initio huius anni.

V. - ADIUNCTA HISTORICA. In hac instructione, potius quam declaratio vel enucleatio theoricæ circa doctrinam orationis, puncta practica et concreta continentur. Ut pronum est cogitare, tunc temporis, in initiis, priusquam Constitutiones Societatis promulgarentur, multa relate ad orationem erant indeterminata. Ideo quae de Collegiis fundandis proposita et scripta fuerant (a. 1541, 1544) circa orationem et spiritualia exercitia, vagam omnino rerum temporisque distributionem relinquunt et ad aliam occasionem determinanda amandant<sup>5</sup>. Nec maior determinatio invenitur in *Constitutionibus scholasticorum anni 1546*, praeter communionem et confessionem hebdomadariam et officium de B. Virgine<sup>6</sup>. *Constitutiones collegiorum*, conscriptae ante ultimos menses anni 1549<sup>7</sup>, loquuntur de confessione et communione hebdomadaria<sup>8</sup>, de examine conscientiae noctu et examine particulari mane, vel de duobus examinibus in die post prandium et post coenam iudicio Rectoris<sup>9</sup>, de missa quotidie audienda<sup>10</sup>; de oratione vocali recitando officium B.V.M. diebus dominicis et festis et sabbatis, defunctorum die Lunae, psalms paenitentiales die Martis et Iovis, officium crucis die Mercurii et Veneris; quae iudicio Rectoris commutari valeant<sup>11</sup>. Praeter hanc orationem vocalem, commendatur in iisdem Constitutionibus collegiorum usus orationis mentalis iis qui capaces sunt, usque ad tres horae quadrantes vel summum horam; quae possit dispesci

si potessi, iunta al collegio; la quale pigliamo il sabbato della prima dominica di quadragesima, et si sonno resevuti fin diece ioveni determinati di esser della Compagnia, i quali sono quasi il fiore degli scolari in humanità et grammatica, et quasi tutti di molta speranza». Natalis ad S. Ignatium (5 maii 1550) scribens Messanae: EN, I, 83. Antiquius erat (anno sc. 1549) desiderium Natalis faciendi domum probationis separatam a collegio; cf. EN, I, 63. Et S. Ignatius boni consulebat talem domum primum a Natali fieri; MI, *Epist.* II, 463. In *Chronico Societatis*, ad annum 1549, Natalis refert de « prima domo probationis Messanae ». *F. narr.* II, 209.

<sup>4</sup> Vide datum professionis et sui Roma egressus in EN, I, 129, 130.

<sup>5</sup> Cf. MI, *Constit.* I, 58-59.

<sup>6</sup> *Ibid.* p. 175.

<sup>7</sup> Cf. AHSI 3 (1934) 87, annot. 2; et P. LETURIA, *De « Constitutionibus collegiorum » P. Ioannis A. de Polanco*: Estudios Ignacianos I, 360-369.

<sup>8</sup> MI, *Reg.* p. 219, n. 6-8.

<sup>9</sup> *Ibid.* p. 220-221, n. 12.

<sup>10</sup> *Ibid.* p. 221, n. 13.

<sup>11</sup> *Ibid.* n. 14.

mane et vespere. Item oratio dirigatur specialiter pro Societate et pro fundatoribus et benefactoribus<sup>12</sup>. Denique inveniatur Deus in omnibus rebus intentione et oblatione occupationum atque laborum, et petitione et elevatione mentis ad Deum<sup>13</sup>; nec plus temporis, nisi de consensu Rectoris, tribuatur orationi<sup>14</sup>.

Pro fundatione collegii messanensis Ignatius dederat Patri Nadal memoriale circa horam orationis<sup>15</sup>. Sed paulo post (14 septembris 1549) liberi relinquuntur socii messanenses, quoad tempus orationi tribuendum, donec promulgarentur Constitutiones<sup>16</sup>. Distinctius eis dicitur (12 octobris 1549) debere se regi modo quo ipsis indictum erat, cum Roma egredierentur, vel modo quo Patavii<sup>17</sup>. Patavii vero Natalis anno 1555 reduxit ad horam, praeter missam, tempus orationi tribuendum<sup>18</sup>; quod videtur significare ibi plus quam hora dari orationi et examinibus<sup>19</sup>. Circa tempus vero concessum orationi in collegio messanensi scribebat P. Antonius Vinck<sup>20</sup> (24 novembris 1551) ex commissione Natalis: « Le orationi ordinarij in case sono una hora, ultra la messa et examine generale della conscientia »<sup>21</sup>.

De mente Natalis circa provisionem exercitiorum spiritualium pro scholasticis externis, haec habet in eodem loco idem Vinck, qui disserit quomodo scholastici quotidie missae intersint, et etiam concioni diebus festis et dominicis; feriis autem sextis audiant lectionem e vita Christi, et singulis mensibus confiteantur; faciant quoque brevem orationem ad ingressum et egressum scholarum. « Et questo tutto — ait Vinck — non est cossi firmato che non si possa mutare, imo qualsivoglia hora facillimamente si po mutare, iungere o levare in parte, et tutto come meglio apparerà. Et questo ha fatto il P. Nadal (non stringendo li scolari ad exactam rerum observationem) sapendo et sperando che per constitutione generale si haveva di provedere, tum etiam perchè essendo tutte le cose pendente et indeterminate, non ha usato l'autorità di spingere et sforzare »<sup>22</sup>.

<sup>12</sup> *Ibid.* p. 221-222, n. 15.

<sup>13</sup> *Ibid.* p. 222, n. 16.

<sup>14</sup> *Ibid.* n. 17.

<sup>15</sup> « 4<sup>o</sup>. Que inbie la memoria de la una hora de oración, que dize le dió el Padre ». MI, *Epist.* II, 477 (13 iulii 1549).

<sup>16</sup> MI, *Epist.* II, 533.

<sup>17</sup> MI, *Epist.* II, 577.

<sup>18</sup> EN, I, 316, 4<sup>o</sup>.

<sup>19</sup> Cf. *Monum. Paedag.* p. 78, 2<sup>o</sup> et annot. 2.

<sup>20</sup> P. Antonius Vinck natus in arce Butersem in Bravantia; Societatem ingressus Lovanii, 1545; professus 29 iunii 1556; obiit Bononiae, 7 septembris 1576. Cf. EN, I, 113.

<sup>21</sup> EN, I, 755. De tempore orationi tribuendo in Societate deque evolutione in hac re, vide quae postea habentur in *Exh. 1554*, n. 159-163 et annotationes ibi appositae.

<sup>22</sup> EN, I, 755-756.

Praesens instructio, quae sine dubio data est pro sociis Messanae degentibus, inculcat praxim orationis mentalis; sed « si quis mentalem orationem non inveniat », mittitur ad recitationem attentam et devotam missae, horarum canonicarum, coronae, etc. Quae vero Natalis postea est semper data opera docturus, hic inveniuntur in germine; scilicet, de efficacia et usu petitionis, obsecrationis et gratiarum actionis; similiter de affectu caritatis et de purificatione et elevatione animi pro oratione. Ratio denique concreta applicationis in petitione non semel facta est a Natali et ostendit valorem quem tribuebat orationi « supplicationis ».

### Textus

1. *Studium orationis mentalis, facilis ex vita Christi.* — 2. *Auxilium orationis vocalis ad devotionem.* — 3. *Munus rectoris et magistri probationum.* — 4. *Adhibendae obsecrationes.* — 5. *Et purus affectus caritatis.* — 6. *Orandum pro necessitatibus Ecclesiae.* — 7. *De gratiarum actione, elevatione animi et petitione in oratione.* — 8. *Pro quibus intentionibus et personis ulterius est orandum.* — 9. *Rectoris studium in applicandis orationibus fratrum.*

[f. 116r]

†

### DE ORATIONE

[1] Habeatur summa ratio orationis et meditationis:

Adhibeatur studium ut singuli mentaliter quotidie orent pro captu suo; et si quis meditationem facile non inveniat, poterit  
5 ex vita Christi petere quod meditetur<sup>1</sup>, et unde orationem mentalem inveniat.

[2] Si quis mentalem orationem non inveniat, is, si sacerdos sit, exerceatur diligenter et devote missam celebrare; atque in  
10 eam habet a Domino virtutem ut spiritualiter mentem nutriat et

<sup>4</sup> quis meditationem *sup. lin.*, *corr. ex* quam habent inveniant | *prius* inveniant, | *prius* poterunt || <sup>5</sup> post petere *del.* vel quaeri, *ut videtur (charta cons.)* | *prius* meditentur || <sup>6</sup> *prius* inveniant || <sup>7</sup> is *corr. ex* iis

<sup>1</sup> Etiam de vita Christi lectio fiebat Messanae pro scholasticis externis, uti diximus in praefatione, singulis feriis sextis (ex epistola Antonii Vinck, 24 novembris 1551): EN, I, 755. Et Valentiae instituebatur mane hora meditationis de mysterio vitae Christi, quod legebatur nocte praecedenti. Si quis vero non erat capax meditandi, mittebatur ad orationem vocalem. *Mon. Paedag.* p. 78-79.

confortet; det praeterea operam ut diligenter ac devote horas canonicas recitet. Fiet autem ut, si mentalem habeat orationem, haec illi affatim suppetant; si no habet, ut ex his illa consequatur. [f. 116v] Si e laicis aliqui mentalem non inveniant orationem, hi orent per suas coronas, vel psal. vitae Christi vel beatae Mariae<sup>2</sup>, 15 recitent officium beatae Mariae<sup>3</sup>, nonnunquam dicant 7 psalmos aut officium defunctorum vel divinae sapientiae<sup>4</sup>; et haec quidem diligenter ac devote, etc.

[3] Rectoris sit munus, tum magistri probationum, rationem orationum et praescribere et exigere, etc. 20

In applicatione missarum et orationum ut est fructus incredibilis, ita tam singuli quam rector ipse et magister probationis studiosissime eam constituent et dispensent.

[4] Quum autem, ut Paulus enuntiat<sup>5</sup>, quid oremus ut oportet nescimus [*sic*] sed Spiritus ipse nos moveat et doceat inenarrabili 25

<sup>11</sup> confortet *del.* Praeterea || <sup>13</sup> *prius* habent | *prius* illam | *prius* consequantur || <sup>14</sup> aliqui *prius* aliquis | inveniat *ms.*, *ita concorditer cum* aliquis, *quod antea scripserat* || <sup>15</sup> hi *prius* his | hi *del.* ex ora | Mariae *del. duo*, *ut videtur, incompleta* hic recite || <sup>16</sup> psalmos *del.* et || <sup>17</sup> et *sup. lin.*, *corr. ex* id || <sup>20</sup> orationum *del.* exigere et | et<sup>1</sup> *sup. lin.* || <sup>22</sup> ita *sup. lin.*, *corr. ex* et et quare || <sup>23</sup> eam *del.* dispensent || <sup>24</sup> Quum autem ut *sup. lin.*, *corr. ex* Tametsi ex

<sup>2</sup> Psalterium B. Mariae Virginis dicitur quoque *Rosarium marianum*. In libro precum Nicolai Saliceti (Wydenbosch, Weidenbusch), *Liber meditationum, confessionum ac orationum devotarum, qui Antidotarius animae dicitur* . . . , in editione Venetiis facta anno 1501, invenimus sequentem explanationem *Rosarii B. Mariae Virginis cum articulis vitae Christi*: « Notandum tamen quod in principio debet dici *Credo in Deum*; postmodum *Pater noster*, *Ave Maria*, et ante quamlibet clausulam *Ave Maria, gratia plena . . . et benedictus fructus ventris tui Iesus Christus, sine Amen*; quia quaelibet clausula incipit a relativo *qui, quem* vel *quo*; quod refertur ad Iesum Christum [sicque re vera commemorantur per ordinem mysteria vitae Christi]. Et post decem clausulas semper dicant *Pater noster, Credo in Deum, Ave Maria* » (f. 74v).

<sup>3</sup> Devotionem Sancti Ignatii ad officium B. Mariae Virginis extollit P. LETURIA, *Libros de horas, Anima Christi y Ejercicios espirituales de San Ignacio*: Estudios Ignacianos II, 118-119.

<sup>4</sup> *Officium divinae sapientiae* tribuitur B. Henrico Susoni, O.P. (ca. 1295-1366), qui composuit *Horologium divinae sapientiae*. Illud officium, ad similitudinem vel analogiam horarum canonicarum, cum versibus, psalmis aliisque spectantibus ad divinam sapientiam, hymnis e D. Bernardo, in honorem Sapientiae Dei, Verbi incarnati, ad Eius amorem fovendum, late diffusum fuit in Germania. Exemplar huius officii videre est, v. gr., una simul cum *Catechismo Catholico* minimo Sancti Petri Canisii, Venetiis a. 1568 impressum (cf. p. 87). Titulum exhibet *Preces horariae de aeterna Dei Sapientia Iesu Christo Domino nostro* . . . (p. 44-64).

<sup>5</sup> Rom. 8, 26.

charitatis affectu ad orationem, facile quis in Spiritu [f. 117r] media ad exauditionem adhibet, quae ad obsecrationes pertinent, ut Deus concedat per semetipsum<sup>6</sup>, per Christum, per merita Virginis, Sanctorum, etc.<sup>7</sup>.

30 [5] In omnibus autem purus habeatur charitatis affectus, ut gloriam Dei in rebus omnibus simpliciter et unice quaeramus; qui affectus, ut debet omnes virtutes afficere atque informare<sup>8</sup>, ita in exercitio virtutum omnium in nobis suaviter ac fortiter regnare<sup>9</sup>.

35 [6] Orandum pro pace christianorum, pro Ecclesia scilicet catholica, quae tam misere affligitur, hinc catholicorum vitiis, illinc haeticorum ac schismaticorum pervicatia, atque turcharum et sarracenorum atrocissima oppugnatione<sup>10</sup>. Ratio petitionis his verbis concluditur: pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam, et gentes paganorum  
40 quae in sua feritate confidunt, tua potentia conterantur<sup>11</sup>. [f. 117v]

26 orationem *del.* vel || 27 adhibet *del.* da | quae *del.* est ad id | *prius* obsecrationem || 31 Dei *del.* et honorem || 33 ita in exercitio *corr.* ex ita in nobis pariter itaque | omnium *sup. lin.*, *corr.* ex actibus | ac *sup. lin.* || 37 illinc *corr.* ex tunc | atque *prius* illinc infidelium || 38 sarracenorum *del.* ut ita || 38-39 his verbis *prius* hoc verbo || 41 tuae *ms.*

<sup>6</sup> Cf. Dan. 9, 17. 19.

<sup>7</sup> Hoc medium *obsecrationis*, quod saepe repetet Natalis in instructionibus de oratione, uberius exponitur in *Exh. 18 Conim.* n. 7-9, p. 181-182; et infra, *Exh. 14 Compl.* n. 10-11.

<sup>8</sup> De caritate, forma virtutum, S. THOMAS, 2, 2, q. 23, a. 8; et H. NATALIS, *Apolog. exerc.*: EN, I, 846.

<sup>9</sup> «El principio de la oración y fin della sea, quanto se pueda, fervor de charidad en Dios». NATALIS, *De la oración specialmente para los de la Compañia*: EN, IV, 673. Orationem incipiendam esse ex caritate docet quoque in *Exh. 18 Conim.* n. 2, p. 186; *Exh. 14 Compl.* n. 13.

<sup>10</sup> Haec de oppugnatione sarracenorum peculiarem in modum sentiebantur in Sicilia. Preces quoque in urbe fundebantur: «Dà grande edificazione a tutti, non solo la diligentia che mette Sua Exc<sup>a</sup> [Prorox] in fortificar la città, et prepararsi contra li turchi, ma principalmente l'animo tanto pio et christiano che mostra in procurar che si faciano oratione et opere pie acciochè il Signore incline la sua misericordia et potentia contra tutti li inimici della sua sancta fede catholica». Natalis Messanae scribens ad S. Ignatium (19 iunii 1551): EN, I, 108. De naufragio P. Nadal, capellani navium militaris, cf. EN, I, 109-112, 754-755.

<sup>11</sup> Ultima verba, ab illis «pacem tuam nostris concede temporibus...», referunt ad «collectam» *Et famulos*, quae postea ex iterata concessione S. Pii V et Gregorii XIII recitari poterat ad finem orationum missae in Hispania eiusque regnis. Origo autem huius «collectae» invenitur adhuc obscura.

[7] Gubernari possit orationis affectus tamen ad unionem spiritus et obedientiae; atque ut facilius omnes iuvari possimus ad orationis spiritum, brevi quemadmodum oratio dispensanda sit attingemus:

Prima ratio habeatur gratiarum actionis, haec late patet, etc.<sup>12</sup> 45

Purificandus animus ac levandus ad Deum sive ad sanctos, si ad eos est oratio<sup>13</sup>; atque in hoc gradu consistit tota ratio meditationis ac contemplationis.

Petitiones adhibendae pio ac humili affectu. Haec pars adeo 50 videtur necessaria, ut videatur et meditatio et contemplatio perire, nisi in orationem et affectum aliquem pium exeat<sup>14</sup>; ac tandem ad operationem<sup>15</sup> ac faciendam sanctam Dei voluntatem. [f. 118r]

[8] Orent praeterea singuli pro se, idque in primis ut spiritum Christi Deus semper in ipsis augeat suaeque Societatis. 55

Orandum pro P. Ignatio totaque Societate et omnibus collegiis et domibus<sup>16</sup>.

Nominatim pro romanis fratribus, pro hoc collegio et panormitano ac eorum superioribus<sup>17</sup>, etc.

Pro prorege<sup>18</sup> nominatim, D. Isabella<sup>19</sup> ac eius fratribus<sup>20</sup>. 60

42 possit *del.* ac gubernare | affectum *ms.*; *del. verbum illegib. charta cons.* | tamen *del.* ut || 43 obedientiae *del.* ac ne || 46 haec — etc. *sup. lin.*, *corr.* ex ut non facile intelligere possumus indignum || 48 atque *prius* et | consistit *prius* est || 53 ac *sup. lin.*, *corr.* ex sancta

<sup>12</sup> De gratiarum actione in oratione, uberius in *Exh. 18 Conim.* n. 6, p. 181; *Exh. 14 Compl.* n. 12.

<sup>13</sup> De elevatione, ut de ingressu et parte orationis, *Exh. 18 Conim.* n. 3-5, 10-14, p. 180-183; *Exh. 14 Compl.* n. 3, 7.

<sup>14</sup> De petitione in oratione et de eius momento, *Exh. 18 Conim.* n. 4, p. 180-181; *Exh. 14 Complut.* n. 4, 8.

<sup>15</sup> Circa mentem Natalis de oratione quae extendi debet ad actionem, cf. inter alia, *Jer. Nadal* p. 319-321.

<sup>16</sup> Orationem vocalem et mentalem dirigendam specialiter esse pro Societate et pro fundatoribus et benefactoribus collegiorum dicebatur iam in *Constitutionibus collegiorum* (1549): MI, *Reg.* p. 222, n. 15. Non tantum in praesenti instructione et loco invenitur determinatio concreta petitionum in oratione. Cf. NATALIS, *Instructiones*: EN, IV, 575-576.

<sup>17</sup> Collegii messanensis Rector erat Natalis, panormitani P. Nicolaus Laniois (Delanoy). *Chron. Pol.* I, 384.

<sup>18</sup> Ioannes de Vega, benefactor insignis Societatis et collegii mamertini, «... che non solo è vero, ma etiam debito dire che humanamente solo il vicerè et Gio. Osorio han fondato questo collegio». Natalis ad S. Ignatium (5 ianuarii 1552): EN, I, 128. Cf. EN, I, 140.

<sup>19</sup> Domina Elisabeth de Vega et de Luna, filia proregis, comitissa de Luna.

<sup>20</sup> Dominus Ferdinandus de Vega (cf. EN, I, 85, 114...); Dominus Severus de Vega (cf. EN, I, 100...).

Pro hac civitate <sup>21</sup> et magistratibus et regno <sup>22</sup>.

Pro benefactoribus tam vivis quam defunctis.

Pro omnibus qui bene affecti sunt ad Societatem, tum pro  
omnibus (si qui sunt) qui male sint affecti; pro omnibus, etiam  
65 inimicis, etc.

Privatas alias applicationes charitas docet.

[9] Illud tamen rectori incumbet et diligenter curabitur: ut  
pro quacumque [f. 118v] necessitate, sive secreta sive aperta,  
noverit applicare fratrum orationes; et primo missas ac orationes  
70 utriusque domus poterit rector, suae magister probationis . . .

---

61 et magistratibus *sup. lin.* || 67 et *sup. lin.*, *corr. ex id* || 68 aperta *sup. lin.*, *corr. ex nota* || 70 *post* utriusque *verbum sup. lin. diffic. lect. quod interpretati sumus domus saltem ad sensum.*

---

<sup>21</sup> Messana (Messina) scilicet, ex dictis in Praefatione, II.

<sup>22</sup> Regnum scilicet Siciliae.